MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80313-31

AUTHOR:

FRANKE, KARL WILHELM

TITLE:

DE PRIMO EUMENIDUM AESCHYLI CANTICO

PLACE:

LIEGNITZ

DATE:

1875

Master Negative #

91-80313-31

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Franke, [Carl Wilhelm]
...De primo Eumenidum Aeschyli cantico et nonnullis, qui antecedunt, dialogi versibus commentatio... Liegnitz, Krumbhaar, 1875.
31 p. 26 cm.

At head of title: Staedtisches evangelisches gymnasium zu Liegnitz....

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 12-29-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

STAEDTISCHES

EVANGELISCHES GYMNASIUM

ZU

LIEGNITZ.

JAHRES-BERICHT

WOMIT ZU DER

ÖFFENTLICHEN PRÜFUNG UND ENTLASSUNG DER ABITURIENTEN

EHRERBIETIGST EINLADET

DR. CARL EDUARD GÜTHLING
DIRECTOR DES GYMNASIUMS.

INHALT.

LIEGNITZ.
DRUCK VON H. KRUMBHAAR.
1875.

Per complures annos, quos et graecorum et latinorum auctorum operibus legendis interpretandisque operam navavi, Aeschyleae tragoediae imprimis tum gravitate linguae tragicae tum amoenitate figurarum magnificarum tum dulcedine sententiarum tanto opere animum meum occupaverunt, ut praeter alios thesauros ex antiquis illis temporibus nobis servatos in tragoedias illas legendas maxime incumberem et consilium per annos mecum portarem cantica adhuc diligentiore et ampliore tractatione et textus et argumenti et metri egentia critice, exegetice, metrice tractandi. Fieri non potest, quin haec canticorum tractatio antecedentes quoque versus, quorum sensus ab argumento cantici separari non potest, complectatur. Quo factum est, ut ordienti a primo cantico tragoediae Eumenidum etiam de dialogi versibus nonnullis antecedentibus agendum esse mihi videretur.

Priusquam opus aggrediar, de conexu, quo versus mihi interpretandi ad praecedentes duas tragoedias trilogiae et initium tertiae ipsius adiungantur, praefari a proposito omnino non abhorrere videtur.

Irae caelestes, quas auctor generis Pelopidarum, a nomine auctoris ipsius etiam Tantalidarum nominati, contraxerat, totam stirpem semper semperque persequebantur, donec, morali ordine mundi, qui ab alio post alium posterorum Pelopis sive ipsius sive fortunae iniuria sceleribus violabatur, restituto, expiarentur. Id argumentum poëta plane per tres tragoedias peregit, in prima docens, ut Agamemno quidem, Pelopis nepos, implicitus in ira haerenti in genere inciderit in dissidium officiorum inter se certantium, ex quo sine ulla culpa emergere non potuerit, Clytaemnestra vero coniugem interficiens scelus summum committat, deinde in Choephoris, ut

Orestes, cui intercidium patris ulciscendum, non minus autem matri parcendum erat, iussu Apollinis pio officio patris ulciscendi satisfaciens matricidii facinus impium admittat. Iam vero in eo, quod invitus (cf. Choe. v. 899: *τί δράσω; μητέρ αἰδεσθῶ κτανεῖν;*) Apollini paret, res explicari incipit, quae in Eumenidibus expeditur, cum auxilio Apollinis et sapientia Minervae, cum homines causam diiudicare non possint, calculo misericordiae ad suffragia absolventia addito, culpa Orestis expietur ac simul irae caelestes, morali ordine mundi restituto, placentur.

In prologo tragoediae Aeschylus Pythiam numina oraculi invocantem, deinde, postquam horrens ex templo Delphico, in quo Furias intrans sedentes aspexit, recessit, horribiles Furiarum personas describentem facit. Tum Pythia abit; portis templi apertis aspicimus diras deas in sellis sedentes*). Apollo intrat et Orestem, qui ab umbilico telluris, ad quem antea sederat, surgit, adhortatur, ut Athenas Minervam imploraturus petat. Postquam Orestes, Herma comite, abscessit, Umbra Clytaemnestrae ex orco, ut videtur, per climaces charoneas**) evadit et Furias dormientes reprehendit, quod cura matricidae persequendi omissa se inultam umbris ipsis ludibrio esse patiantur, et monet, ut experrectae Orestem per terras agitare pergant.

Iam sequuntur versus, quos et critice et exegetice et metrice tractandos subiturus sum.

---

*) De modo, quo portae patefactae sint, et utrum Furiae iam omnes adfuerint an singulae in conspectu spectatorum intraverint, et de aliis, quae ad hunc locum pertinent, cum alii egerunt tum vir praestantissimus Rossbach in A. Rossbachii de Eumenidum antichoriis commentatione (index lectt. in Univ. Litt. Vratisl. 1859, p. 7.). Maxime mihi placuit expositio perspicua Reinhardi Schultze (de re scenica in Aeschyli Eumenidibus. Progr. Colbergae 1859, p. XVI.), qui, postquam demonstravit in epiparodo quidem Athenis facta (nominat Schultze parodum iam nostrum canticum, cum recte Rossbachium, qui hoc canticum proparodum nominat, iustam parodum demum a versu *ἄγε δὴ καὶ χορόν* incipere contendisse mihi persuasum sit), ubi prima chori verba prae se ferant speciem canum ferarum vestigia quaerentium, etiam speciem chori fuisse *σποράδην* irruentis, dicit haec: „In priore tragoediae parte Delphis acta ne locum quidem invenio, quo statui possit incessus *σποράδην* factus. Quid enim? Initio fabulae dormiunt Furiae in templo Apollinis non conspectae a spectatoribus usque ad v. 65. Apertis foribus, conspiciuntur Furiae in templo dormientes, unde postea in orchestram indeque in peregrinitatis partem Orestem persecuturae abeunt. Cum igitur Furias **una** in templo spectatores conspiciant, in quo versantur inde ab initio fabulae, ubi, quaeso, locus relinquitur parodo *σποράδην* factae?“

**) *κλίμακες χαρώνειοι*. Poll. 4, 132: *αἱ δὲ χαρώνειοι κλίμακες κατὰ τὰς ἐκ τῶν ἑδωλίων καθόδους κείμεναι, τὰ εἴδωλα ἀπ' αὐτῶν ἀναπέμπουσιν, τὰ δὲ ἀναπιέσματα, τὸ μέν ἐστιν ἐν τῇ σκηνῇ, ὡς ποταμὸν ἀνελθεῖν ἢ τοιοῦτόν τι πρόσωπον, τὸ δὲ περὶ τοὺς ἀναβαθμούς, ἀφ' ὧν ἀνέβαινον αἱ Ἐρινύες.* Cuius loci verba *κατὰ τὰς ἐκ τῶν ἑδωλίων καθόδους* ingeniose Sommerbrodt in *κατὰ τὰς τῶν εἰδώλων καθόδους* mihi videtur mutavisse nec minus apte, verbis *ἀπ' αὐτῶν* mutatis, *ἀποθανόντων* adiecisse in dissertatione, quam supra commemoravi, Reinhardus Schultze, qui praeterea unum idemque fuisse anapiesmata et climaces charoneas verisimillimum putat (p. VI.).

Pars critica et exegetica.

117. *(μυγμός).*

Adhortationibus Clytaemnestrae Furiae nondum ex somno excitantur; sed suspirantes labris clausis sonum edunt, quem nos quidem littera m, Graeci per *μυ* exprimunt. Itaque poëta significans, Furias illum suspirantium sonum edidisse, scripsit *μυγμός*, unde apparet, inanem fuisse contentionem eorum, qui scholiastam veterem sequentes dicentem: „*κῶλα τμήματα δ', ἃ μονόμετρά ἐστι βραχυκατάληκτα*“, rhythmice metiri haec quoque verba *μυγμός* et postea *ὠ* ˙ et *μυγμὸς διπλοῦς ὀξύς* studuerint, etsi K. O. Mueller contendit, id quod transferendum est simul ad v. 130, eum (scholiastam) legisse *μὺ μῦ, μὺ μῦ* et in versu quidem 130 *μὺ μῦ, μὺ μῦ, Φράζου — λάβε, λάβε, λάβε, λάβε, λάβε* quinquies, quam ob rem arbitratur licere septies *λάβε* poni, ita ut hic quoque, anteposito imperativo *φράζου*, trimeter iambicus expleatur, cuius pronuntiatio per seriem Furiarum ex somno excitatarum percurrerit.

118. 119. *μύζοιτ' ἄν, ἀνὴρ δ' οἴχεται φεύγων πρόσω·*
*φίλοις γάρ εἰσιν, οὐκ ἐμοὶ προσίκτορες**).

Legendum mihi videtur esse *φυγών*, quod priores quoque libri protulerunt. Est enim „fugere“ „ex manibus elabi, fugam capere“; tum demum, cum quis fugerit, fieri potest, ut ex aspectu se subduxerit et abierit. Complures loci testimonio sunt, a. e. Il. XIV, 81, ubi Agamemno, ut naves solvant, monens Nestorem alloquitur:

βέλτερον, ὃς φεύγων προφύγῃ κακὸν ἠὲ ἁλώῃ

et Ar. Ach. 177 (Bergk):

δεῖ γάρ με φεύγοντ' ἐκφυγεῖν Ἀχαρνέας,

ex quibus locis apparet, verbum *φεύγειν* tantum initium fugiendi significare ideoque, ut intellegatur, initium praeteriisse, participium aoristi ponendum esse. Dicas, Clytaemnestram monere, Orestem evasisse et iam usque fugere, sed neglegendum non est, Orestem, vigilantibus quoque Furiis, fugere conari potuisse, minime vero effugere et, fuga feliciter perfecta, abesse et porro

---

*) profero versus secundum editionem Guilelmi Dindorfii, Lips. 1869.

quidem abesse; nam adverbium *πρόσω* coniungendum est cum indicativo *οἴχεται.* Quia dormiunt Furiae, fuga bene profecit ideoque factum est, ut Orestes iam porro abierit, ut vel difficile Furiis eum denuo prehendere futurum esse Clytaemnestra sentiat.

φίλοις γάρ εἰσιν, οὐκ ἐμοὶ προσίκτορες,

hanc lectionem priore *φίλοις γάρ εἰσιν, οὐκ ἐμοῖς* ex libris adhuc a Wellauero, Muellero et antea a Dindorfio servata meliorem esse, ut G. Hermann iamdudum demonstravit, (— nam per *φίλοις οὐκ ἐμοῖς* poëtam id exprimere potuisse, quod est „mihi invisis, odiosis", contra usum cum graeci tum praesertim poëtici sermonis mihi quidem repugnare, et coniectura editionis gothanae *φίλοις γὰρ οὖσιν οὐκ ἐμοῖς προσίκτορες* tam parum subtilis mihi quidem videtur esse, ut eam se ipsam damnare censeam —) ut negem, tantum abest, ut libenter cum Hermanno consentirer, nisi vocabulum *φίλοι* hoc loco vim „cognati" habere persuadere mihi prorsus non possem. Vocabulum *προσίκτωρ* item ut *ἱκέτης* et *προςτρόπαιος (Ζεὺς προςτρόπαιος)* et active et passive adhiberi consentio; id vero, quod attinet ad vocabulum *φίλοι,* vim „cognati" in eo, nisi ullus amoris respectus insit, esse non posse contendo. Ut in versu 970 (Dind.) tragoediae Sept. ad Theb:

πρὸς φίλον ἔφθισο· καὶ φίλον ἔκτανες

et in v. 355 nostrae tragoediae:

ὅταν Ἄρης τιθασὸς ὢν φιλον ἕλῃ,

sic etiam in v. 518 Soph. El. respectus amoris, quem hic prorsus deesse Hermann putat, in vocabulo *φίλους* inest. Hoc loco aeque atque illis locis quisque ex voce *φίλος* aut *φίλοι* sententiam perspiciet: „qui ut carus, amicus, amicissimus tibi esset", aut „qui ut cari et fideles, ut amiciores et cariores aliis hominibus, quia necessitudo sanguinis inter vos interest, tibi essent, legibus natura omnibus datis constitutum erat." Eodem modo res se habet de versu 100, quo Clytaemnestra queritur:

παθοῦσα δ' οὕτω δεινὰ πρὸς τῶν φιλτάτων,

id est ab iis, qui vinculis sanguinis mihi maxime coniuncti amicissimi mihi esse debuerunt. (Numerus pluralis poëtice pro singulari positus est ex usu tragicorum, Aristot., rhet. III, 3.) Quid vero hic efficeret vox „*φίλοις*", si „cognatis" significaret? Furiarum est Orestem persequi; si hoc officium explent, vindices sceleris ab Oreste commissi fiunt pro Clytaemnestra. Vinculum ullum inter hanc et illum iam non est; queri potuit Clytaemnestra, sibi ab eo, qui vinculis sanguinis cum ipsa coniunctus ideoque *φίλος* sibi esse deberet, perniciem esse allatam, non vero potest postulare, ut irae caelestes *φίλους* persequantur; nam tum simul ipsa *φίλη* iis esse desiit, et vincula natura nexa inter matrem et filium plane soluta sunt. Potius probem interpretationem eorum, qui censent, *φίλους* esse amicos Furiarum, et vertunt: „amicis suis, sed non mihi vindices sunt Furiae", si ita perspiciatur, Furiis Orestem factum esse amicum, quem eo ipso, quod eum persequi et vindices se praebere desistant, tueantur. Sed video, interpretes illos censuisse,

Furiis quoque amicos esse, quibus eas vindices esse, non ipsi Clytaemnestra dicat, et audivi, virum Ill. Rossbachium (lectt. aest. a. LXIX de Aeschyli Eumen.) interpretatum esse: „iis, quos amant, vindices sunt." Quanta sit viri doctissimi reverentia mea, fieri tamen non potest, ut istam sententiam accipiam. Quis contendat, quemquam amari a Furiis? Etsi manus abstinent a piis et, ut Aeschylus (Eum. 313—315):

τὸν μὲν καθαρὰς χεῖρας προνέμοντ'
οὔτις ἔφερπει μῆνις ἀφ' ἡμῶν,
ἀσινὴς δ' αἰῶνα διοιχνεῖ —

minime amicitia oriri potest. Quomodo quadret ad Furias aliquem amantes descriptio Apollinis (v. 186, sqq.): *ἀλλ' οὗ χαρανιστῆρες ὀφθαλμώρυχοι κτλ.* et quomodo, si hic esset sensus versus, Clytaemnestra dicere posset paulo post:

τί σοι πέπρακται πρᾶγμα πλὴν τεύχειν κακά;

qui nihil aliud nisi malum faciat, eum quosdam amicos habere, dicere non liceat. Si Furiae pro mortuis iniuriam illis illatam ulciscuntur, non mortuorum, sed sceleris vindices se praebent; vindicant scelus commissum securae, contra quem commissum sit. Henricus Weil (Eum. Gissae, 1861, p. 20) negans, Furias vindices Clytaemnestrae dici posse, et suspicans, librarii errore *προσίκτοες* scriptum fuisse, versum ita mutari vult:

φίλοι γάρ εἰσιν οὐκ ἐμοῖς προσεικότες,

et verti: „amicos enim habet non meis similes", sed vigilantes et impigros. Sed negatio *οὐκ,* ut hic sensus efficiatur, vix recte posita et tota sententia frigidiuscula videtur. Et ubi librarii errore *προσίκτοες* scriptum erat? Cod. M. profert: *φί λοισγάρ εισιν ὀυ κ-ἐμô ισ προσί κτορεσ,* et littera *ρ* sive maiuscula sive minuscula haud nimis saepe, ne dicam rarissime, locos corrupit. Nihilo minus Clytaemnestra sentit, Furias a persequendo absistentes dormire et hac ipsa re, quod non consulant vindictae, non minus sibi non favere, quam Oresti alii faveant. Itaque mihi verisimillimum videtur, pro *φίλοις* re vera *φίλοι* scribendum, et litteram finientem *ς*, quam codices offerunt, non, ut antea factum est, voci *φίλοι* concedendam, sed etiam adiectivo *ἐμοῖς* demendam esse, ut legatur, quod recte intellegi possit:

φίλοι γὰρ εἰσίν, οὐκ ἐμοὶ προσίκτορες,

acuta quidem ultima verbi *εἰσίν* syllaba pronuntiata. Haud difficile *αὐτῷ* ex versu praecedenti subauditur, ita ut vertamus: „nam (ei) sunt amici, Apollo, et quemcumque ille ei praesidio mittere vult, (ii, qui praebent id, quo eget, auxilium, tutelam), non mihi (ii, qui praebeant, quo egeo, vindictam) vindices." Hac lectione omnes loci difficultates sublatae mihi videntur. — Tali modo cum *φίλοι* et *προσίκτορες* iam non attributa, sed subiecta accipienda sint, omnis quoque sublata est difficultas, quam vicissitudo personae in verbis *μύζοιτε* et *εἰσιν* attulerat.

120. Chorum dormire pergere, poëta vocabulo *μυγμός* docet; iterum Furiae sonum per somnum suspirantium edunt.

121. 122. *ἄγαν ὑπνώσσεις κοὐ κατοικτίζεις πάθος·*
φονεὺς δ' Ὀρέστης τῆσδε μητρὸς οἴχεται.

Allocutio vertitur in numerum singularem, quia Clytaemnestra imprimis unam ex Furiis, quae dux aliarum est, alloquitur. — Accipiendum esse, ut vult Marbach in libro elegantissimo, qui inscriptus est: „die Oresteia des Aischylos" (p. 368), hunc chorum Eumenidum sine duce fuisse, minime credo. Chorus tragicus coryphaeo, cuius erat etiam motus saltatorios regere, nunquam, et Furiarum quidem chorus, utpote cuius motus saltatorii tam ingentis momenti et effectus essent, omnium minime carere potuit. Verba, quibus Apollo de Furiis utitur in v. 196: *ἄνευ βοτῆρος αἰπολούμεναι*, mihi quidem naturam intimam Furiarum aliorum numinum omnium contrariam, non vero speciem externam chori respicere videntur, ut etiam sequentia: *ποίμνης τοιαύτης δ' οὔτις εὐφιλὴς θεῶν*, tali gregi nullus fautor deorum, nullus deus eas in tutelam suam recipit, ita ut ipsae quasi exules ubique pervagentur, quos duos versus Marbach ipse, ut hunc sensum offerant, tam lepide vertit:

„Hinweg! verworfne, führerlose Schaar;
Denn euer nimmt kein Gott sich gnädig an!"

Verbum *ὑπνώσσω*, ut *λιμώττω* (esurio) semper intransitiva vi est, cum *ὑπνοῦν* primum factitivam vim aeque ac plurima verba in *όω* exeuntia, „facere, ut quis dormiat", deinde intransitivam verbi dormire habeat. Vim maiorem in hoc verbo (non in omnibus quidem, quae syllabis *ώσσω* terminantur) *ὑπνώσσω* inesse quam in verbo *ὑπνόω* negare nolo, praesertim conferens hos duos locos: Sept. 287: *φόβῳ δ' οὐχ ὑπνώσσει κέαρ* et Eur. Or. 170—173.

Vocabulum *πάθος* sequenti versu exponitur: *φονεὺς δ' Ὀρέστης κτλ.*

Haec vehementius Clytaemnestra ad Furias versa clamasse, non vero, ut Minckwitz vult (Lips. 1838. Comment. in Aesch. Eum.), tantum apud se questa esse mihi videtur. Effingas tibi animo mulierem indignabundam, quia, quod voluit, non factum est, et fere ad desperationem adductam, quia videt primam adhortationem inanem fuisse. Chorus non respondit, immo more dormientium suspiravit. Graviore eam et excitatiore voce, cum antea tantum *ἀνὴρ δ' οἴχεται* dixerit, nunc haec „*φονεὺς δ' Ὀρέστης τῆσδε μητρὸς οἴχεται*" addere, quo magis Furias moveat, quid manifestius? *Φονεὺς δ' Ὀρέστης τῆσδε μητρός*, interfector mei, quae mater eius hic sto. Cuique vocabulo singularis vis est; pronuntiat nomen *Ὀρέστης*, quo melius memoriam Furiarum incitet, *τῆσδε* addit, ut sentiant dormientes, ipsam adesse, cuius vindices ut se praebeant, sibi mandatum sit, et *μητρός* pro *ἐμοῦ* dicit, ut summi officii perspicue moneat illas matris interfectoris persequendi, id quod gravius efficitur duabus vocibus *φονεὺς μητρός*, quam si vocem *μητραλοίας*

posuisset. — De usu eius modi pronominis *ὅδε* iam apud Homerum, deinde apud poëtas alios et Herodotum vide Rost, p. 457.

123. *(ὠγμός).*

Re vera quodam modo Furias sono vocis Clytaemnestrae motas esse, ex eo intellegimus, quod iam non suspirant modo, sed more eorum, qui dormiunt quidem adhuc, sed per somnum vocem excitantium percipiunt, interiectionibus quibusdam respondere conantur. Exclamant oh! oh! sentientes se obiurgari de aliqua re.

124. 125. *ὤζεις, ὑπνώσσεις· οὐκ ἀναστήσει τάχος;*
τί σοι πέπρακται πρᾶγμα πλὴν τεύχειν κακά;

Haec omnia sunt verba interrogantis cum indignatione et obiurgantis, responsionem vero non exspectantis. „Quid prodest mihi exclamatio tua; nam dormis; dormiens ignominiam in me haerentem tollere non potes; nonne igitur cito surges?" Etiam naturae Furiarum dicit prorsus resistere somnum, quia dormiens malum non faciat, neque quidquam aliud convenire Furiis nisi malum facere, nihil aliud umquam ab iis factum esse.

126. Exclamationes Furiarum oh! oh! iterum ad verba Clytaemnestrae respondent.

127. 128. *ὕπνος πόνος τε κύριοι συνωμόται*
δεινῆς δρακαίνης ἐξεκήραναν μένος.

Exclamationes illas tristis et demissi animi fuisse oportet, ut Clytaemnestra animadvertat studium Orestis persequendi Furias deficere. Somnum dicit adiunctum ad laborem pristinae persecutionis violentiam penitus perdidisse. Clytaemnestra somnum et laborem sicut duos inimicos intuetur, qui contra ipsam coniurati Furias impediant, quominus ita ut antea interfectorem suum persequantur. — Cur *κύριοι* vocantur *συνωμόται* somnus ac labor? Errat Minckwitz, qui per *κύριοι τὸ* solere et Schuetz, qui *τὸ* amice solere expressum esse putat. *κύριος* adiectivum, a *κῦρος* derivatum, quae vox eiusdem stirpis est, cuius *κάρη*, significat id, quod summam seu momentum facit, in quo eximia vis, singularis effectus rei est. Sic v. 327: *ματρῷον ἅγνισμα κύριον φόνου*, piaculum pro matris caede oblatum, quod unum efficere valet, ut caedes expietur, et v. 543: *κύριον μένει τέλος*, finis manet certus, qui re vera omnibus facinoribus contra fas commissis finem facere valebit. Et ipsum neutrum *κύριον* et *κύρια* vim vocabuli latini „arbitrii". „momenti" (germanici „Entscheidung") habere docet v. 960: *δότε, κύρι' ἔχοντες*, date vos dii, quibus huius rei arbitrium, momentum obtigit. Idemque sensus hîc quoque in voce *κύριοι* inest;

ὕπνος πόνος τε κύριοι συνωμόται,

somnus ac labor coniurati et coniuratione ipsa tanta potestate praediti, ut fieri non potuerit, quin violentiam Furiarum debilitarent, robur penitus perdiderunt. Itaque verto: „Somnus laborque ad efficacem impetum coniurati."

Dracaena vox quadrat et ad descriptionem a Pythia datam, quia etiam cuiusque monstri notio inest (v. 46 usque ad v. 59), et ad descriptionem Apollinis (v. 180. sqq.) (Cf. Eur. Bacch. 1356. 1357:

καὶ τὴν Ἄρεως παῖδ' Ἁρμονίαν, δάμαρτ' ἐμὴν
δράκων δρακαίνης φύσιν ἔχουσαν ἀγρίαν ἄξω.)

ἐκκηραίνω verbum, quod num alio loco inveniatur dubito, compositum ex ἐκ et verbo κηραίνω derivato a voce κήρ „fatum" seu κῆρα. quae raro invenitur, est fatum adducere, interitum adducere alicui aut rei, ideo „corrumpere", „perdere". Praepositio ἐκ vim graviorem reddit, ut ἐκβαρβαροῦν hominem totum βαρβαροῦν quasi ex visceribus, ἐκθεραπεύειν cum plane sanare, ut Pol. 3, 88, tum aliquem officio et cultu totum amicum sibi reconciliare, ut Plut. Sol. 31 et aliis locis; ἐκτεθηλυμμένος καὶ τῇ ψυχῇ καὶ τῷ σώματι (Pol. 37, 2, 2.), ubi appositi dativi quasi explicant τὸ ἐκ, et multa, quorum vis praepositione ἐκ aucta est, ut ἐκκάμνω. ἐξαναλίσκω. ἐξαπορέω (Pol. 4, 34, 1 et saepius). Sic ἐξεκήραναν μένος robur et vim quasi ex toto corpore detractam perdiderunt.

129. 130. Post haec verba vehementius et saepius chorus adhuc dormiens suspirat; id exprimit poëta verbis: μυγμὸς διπλοῦς ὀξύς.

Ducem vero solam sequentia verba: λαβὲ, λαβὲ, λαβὲ, λαβὲ, φράζου pronuntiasse mihi verisimillimum videtur esse.

Iam hic de quaestione a multis vario modo tractata agam, utrum metrice verba sint metienda necne. Verba sunt Furiae in somnio loquentis et, ut mihi quidem videtur, eiusdem generis, cuius antea interiectiones Furiarum sunt. Cum illae vocibus μυγμός et ὠγμός satis exprimantur, haec exclamatio minus apte pari modo exprimi potuit. Itaque poëta verba posuit ab actore dicenda. Attamen, ut iam antea tot m et oh ab actoribus pronuntiari poterant, quot docenti fabulam aptum et ad spectatorum animos movendos efficacissimum esse videbatur, sic etiam ei aut fortasse actori horum verborum facultas erat, dummodo ita dicerentur, ut spectatores sentirent, verba more somnio ad loquendum motorum apte pronuntiari. Scholiastam, qui μυγμός et ὠγμός metitur, etiam haec verba secundum regulas metricas tractare appellantem ἐφθημιμερὲς ἐκ τριβραχέων, quid mirum? Studueram syllabas ita metiri, ut ictus quoque sensui et effectui, qui certo his verbis provocandus erat, non oppugnaret; sed post deliberationem, quam modo exposui, omnia reprobavi. Ea de causa etiam fieri non potest, ut sequar virum rei metricae omnium peritissimum, qui dicit (lectt. aest. a. LXIX.) esse dochmium, cuius omnes arses tres solutae sint, spondeo sequente. Cogites, qualis sit effectus, si quis per somnum loquens haec verba venatoris studio ferae persequendae excitati ita pronuntiet, ut ictus duos, quos dochmius postulat, respiciat et maiore impetu primi λαβὲ alteram et quarti priorem syllabam enuntiet,

◡ ◡◡ ◡◡ ◡ ◡́◡ λαβέ λαβε λαβε λάβε.

Aut, si ita respici rhythmum opus est, nescio an sic effectus ridiculus creetur, aut, si rhythmus non satis respicitur, laborem nimia et inani arte factum esse contendere audeo. Persuasum mihi habeo, aeque raptim omnia λαβε et sic, ut studio venandi feram persequenti convenit, acuta priore omnium aut omnium altera syllaba (quaecumque pronuntiatio veterum Graecorum fuit) pronuntiata, deinde uberius latiusque vocem φράζου additam esse, cuius syllabae ambae productae ideoque lentius dicendae sunt, ut sensui quoque: „animum attende", „cave", accommodatum est.

131 sqq. Versus sequentes mimime laudandi causa dicuntur, immo probro vertit Clytaemnestra Furiis, quod, ut canes venatici per somnum memores ferae persequendae latrent, in somnio modo persecutionis meminerint, sed re vera dormientes officii obliviscantur.

131. 132. ὄναρ διώκεις θῆρα, κλαγγάνεις δ' ἅπερ
κύων μέριμναν οὔποτ' ἐκλιπὼν πόρον.

κλαγγαίνεις, quod MSS. offerunt et Wakefield, quem complures, ut etiam Dindorf et alii, secuti sunt, in κλαγγάνεις mutavit, omnino servari posse eo potius credo, quia simplex verbum κλαγγάνω etiam semel tantum invenitur in fragmento Sophoclis (fr. 782 ed. Herm.) hausto ex Strabone XV, p. 687 (Casaubon.), quo loco cod. M. 3. κλαγγάζει praebet. Utraque eiusdem radicis derivatio saepius invenitur, ut λεσχάζω (Theogn. 613 ed. Welcker.) et λεσχαίνω (Perictione ap. Stob. fl. 85, 19 E. ed. Tauchnitz.); λιπάζω (Nicand. Ther. 90, 112) et saepius λιπαίνω. Plura exempla Lobeckius in Pathol. proleg. p. 37 offert. Accedit, quod certo pro ὀλισθάνω etiam ὀλισθαίνω in usu fuit, quae forma (ἐξολισθαίνειν) etiam in Ar. Equ. legebatur, etsi postea, iure an minus, diiudicare nequeo, in ἐξολισθάνειν mutata est. (v. 491, ed. Bergk.)

ὄναρ, contrarium voci ὕπαρ, non eodem modo pro adverbio acceptum esse videtur, quo aliae voces, quarum casus quidam loco adverbii dicuntur, sed quoniam est species, imago per somnum oblata, aut subiecto aut obiecto appositum; ut antea (v. 116):

ὄναρ γὰρ ὑμᾶς νῦν Κλυταιμνήστρα καλῶ,

i. e. Clytaemnestra, quae species, imago (iam non re homo) sum, nunc vos voco, sic hic ὄναρ διώκεις θῆρα, feram, quae modo imago est (quam vere persequi non potes) persequeris. Unde fit, ut, cum alia adverbia ex casibus nominum exorta sive alio casu sive praepositione adhibita exprimi possint, et pro ἀρχὴν etiam ἐξ ἀρχῆς et κατ' ἀρχάς saepe et pro δωρεάν (fere quod gratis est) ἐν δωρεᾷ a Polybio (23, 3, 4) dicatur, usus vocis ὄναρ cum praepositione coniunctae testibus duobus viris graecarum litterarum et grammatices haud imperitis damnetur. Nam Phrynichus in eclog. Attic. p. 78 (p. 421 Lobeck.) κατ' ὄναρ ut ἀδοκιμώτατον, Photius (Epic. ap. Diog. Laërt. 10, 32. ed. Huebner.) ut barbare dictum reicit.

Lego πόρον, non πόνον. Probo sententiam Schuetzii, cuius ed. II. Hal. 1800 πόρον praebet, πόνον librario deberi, qui oculis ad sequentis versiculi clausulam aberraverit, etsi

alteram Schuetzii coniecturam *ἄγρας* prorsus improbo. Etsi non multum interest, utrum dicas canem dormientem curam vestigii ferae non relinquere, an curam laboris, quae quidem est cura ferae investigandae, offensione tamen minime mihi vacare videtur, si eadem vox, quae duplicem intellectum habet, in uno ex duobus versiculis continuis hanc, in altero illam offerat notionem. In hoc versu est opera, quam praestare officium est, *ἔργον*, quod vocem *πόνος* apud Homerum semper significare Aristarchus censuit (cf. Schol. ad Il. V, 667 et a. l.), in sequenti vero versu molestia, calamitas, lassitudo, quae nimio labore paritur, ut saepius apud Homerum, Il. XXI, 525:

ὥς Ἀχιλεὺς Τρώεσσι πόνον καὶ κήδε᾽ ἔθηκεν,

Od. VII, 192: *ἄνευθε πόνου καὶ ἀνίης*
πατρίδα γαῖαν ἵκηται.

Pind. Nem. X, 78 (Schneidew.) *παῦροι δ᾽ ἐν πόνῳ πιστοὶ βροτῶν*
καμάτου μεταλαμβάνειν,

„pauci mortalium in c a l a m i t a t e fideles sunt, ut laborum partem suscipiant". Accedit, quod coniunctio verborum *μέριμναν πόρου οὔποτ᾽ ἐκλιπὼν κλαγγαίνεις*, quam si *πόνου* pro *πόρου* legeretur, aptior videtur, quippe cui complures loci testimonio sint. Ennius in annal. X, ut lego in Appar. crit. et exeget. in Aeschyli tragoed. Vol. I., contin. Thom. Stanleii comment. Hal. Sax. 1832, ait: forte feram si ex nare sagaci sensit (i. e. ex vestigio ferae) et de dormientium canum more Lucretius, de rer. nat. IV, 988—94 (ed. Bernays): venantumque canes — vocesque repente

mittunt et crebro redducunt naribus auras,
ut vestigia si teneant inventa ferarum etc.

et Petron. c. 164: Et canis in somnis leporis vestigia latrat.

133. 134. *τί δρᾷς; ἀνίστω, μή σε νικάτω πόνος*
μηδ᾽ ἀγνοήσῃς πῆμα μαλθαχθεῖσ᾽ ὕπνῳ.

τὶ δρᾷς, ut *τι* graviter enuntietur, quod primus Robortellus obtulit pro *τί δρᾷς;* antea ab omnibus libris et postea a multis praebito scribendum esse Hermann vult, quia vis sit: ecquid agis? i. e. agedum. Credo vero, multo magis opprobrium, quod sine dubio usque in verbis Clytaemnestrae inest, apparere et multo efficacius esse, tum antecedentium tum succedentium verborum ratione habita, si Clytaemnestra chorum alloquitur: *τί δρᾷς;* quid efficis vel proficis? Quantocumque opere per somnum memor es officii, quid id prodesse potest? Congruit etiam cum hac sententia verbi *δρᾶν* notio, quae primum quidem est negotia, praesertim servilia, facere, ut Od. XV, 36, deinde „usque ad finem ducere rem, perficere", ut Ar. Eccl. 704 (Bergk):

— ποῖ θεῖς οὗτος;
πάντως οὐδὲν δράσεις ἐλθών·

ubi, qui „omnino nihil ages" verteret, prorsus nihil diceret. Et id age aut agedum ipsum,

quo Hermann vult *τὶ δρᾷς* verti, quoniam ex imperativo fere particula facta est, non modo vim minus gravem imperativo accepit, id quod omnes praesertim Terentii et Plauti loci docent, sed etiam interdum concessive adhibetur, ut in illis locis Terentianis: „Quiescas; age igitur, ubi" etc. et „age, age, iam ducat", quibuscum conferas versus Iliados (I, 59—62), quibus Achilles domos recedere Graecos opus fore duplicem fugientes perniciem monet, addens: *ἀλλ᾽ ἄγε δή τινα ἐρείομεν*, quae verba concessive dicta esse manifestum est: „sed utcumque res se habet, consulamus vatem, nostro arbitrio nihil decernamus". Hic vero aliter est; opprobrio antecedentium versuum aut violentum imperium aut interrogationem indignabundam imperium complectentem succedere necesse est et hunc sensum inesse: *δρᾶ*, quem interrogatio *τί δρᾷς* continet; *ἀνίστω*, surge, ut *δρᾶν* possis.

πόνος, ut supra demonstravi, hic lassitudo ex labore persequendi orta, consequentia eius somnus est, quo ne languescamus, lassitudine nos vinci non pati debemus.

μαλαχθεῖσ᾽, quod in Robort. legitur, falso pro *μαλθαχθεῖσ᾽* positum esse ex metro intellegitur, quia in *μαλάσσω* prima syllaba brevis est, ut apparet ex Soph. Phil. 1334 (Dind.)

νόσου μαλαχθῇς τῆσδε καὶ τὰ πέργαμα,

et Pind. Nem. III, 16, ubi *μαλαχθείς* finiens antistropham voci *ὀπαδόν* stropham finienti respondet.

135. 136. *ἄλγησον ἧπαρ ἐνδίκοις ὀνείδεσιν·*
τοῖς σώφροσιν γὰρ ἀντίκεντρα γίγνεται.

ἀντίκεντρα ὀνείδη sunt opprobria, quae *σώφρονας*, i. e. rationis et consilii compotes ad agendum et opprobria depellenda incitent, ut stimulis equus ut celerius currat impellitur. Re vera et hic et in versu 466 vis praepositionis *ἀντί* aliter percipi non potest nisi „loco rei" pariter atque in compositis *ἀντίθεος*, *ἀντίπυργος*, ut recte interpretetur scholiasta: *ἀντίκεντρα ἴσα μαστίγων*, cum alias in vocabulis cum *ἀντί* compositis insit notio obluctandi, adversandi, prohibendi et similis.

ἀλγεῖν τινι, dolere aliqua re, frequentius adhibetur quam regens accusativum, qui casus fere invenitur, si pronomine causa doloris additur, ut Pers. 1045: *οἲ μάλα καὶ τόδ᾽ ἀλγῶ*, itaque hic *ἄλγησον ἐνδίκοις ὀνείδεσιν*. Accusativi *ἧπαρ* (quae sedes affectuum et incitaminum a Graecis percipiebatur) usus ex ea causa intellegendus est, quod consuetudo sermonis graeci qualitatem vel statum, quem subiecti esse praedicatur, per se ipsum agentem et aliquam rem moventem, ad rem transeuntem percipit, cum et latina plerumque lingua et germanica id modo verbis ideo transitivis vocatis contingere sentiat, qualitatem vero et statum fortuito cum re coniuncta esse ideoque praepositionibus adhibitis (latine etiam ablativo) exprimenda.

Monet ergo Clytaemnestra, ut Furiarum animi iustis opprobriis dolore afficiantur, quo officii meminerint; opprobria enim rationis consiliique compotes velut stimulos incitare.

137. 38. 39. *σὺ δ' αἱματηρὸν πνεῦμ' ἐπουρίσασα τῷ,*
ἀτμῷ κατισχναίνουσα, νηδύος πυρί,
ἕπου, μάραινε δευτέροις διώγμασιν.

Cur Hermann ordinem versuum mutaret, erat causa, quod *τῷ* de Oreste intellectum sic in fine versus, praesertim sequente alio dativo *ἀτμῷ*, prorsus putidum esse putabat, deinde quod, ordine versuum servato, participium *κατισχναίνουσα* coniunctione non adhibita *(ἀσυνδέτως)* participio *ἐπουρίσασα* succedere ineptum ei videbatur. Sed extemplo post *τῷ*, quam articuli formam pro pronomine dici et versus 174 et alii loci docent, dativum *ἀτμῷ* legi, displicere eo minus potest, quod in fine versus post *τῷ*, cuius vocalis ante vocalem sequentem correpta est, pausa unius morae accipienda est. Quod vero verba demptis coniunctionibus dissolute dicuntur, non ineptum vehementi animi concitationi Clytaemnestrae videtur esse. Accedit, quod verba *μάραινε δευτέροις διώγμασιν*, quorum vis multo gravior est, post verba *ἀτμῷ κατισχναίνουσα* melius ponuntur.

Pro *οὐδ'*, quae lectio ullum sensum non praebet, *σὺ δ'* a Porsono receptum et facilius se offert et coniecturis variis aliorum eo iucundius est, quod bene, cum in antecedenti versu aliud subiectum sit, denuo Furia appellatur, et cum antea Clytaemnestra dicat *σώφροσιν ἀντί-κεντρα γίγνεται*, nunc *σύ* illi dativo respondens eminentius fit.

ἐπουρίζειν proprie est: ventum ad navigandum idoneum alicui mittere. Sensus est hic: Sanguineo vento ei excitato, *ἀτμῷ κατισχναίνουσα* halitu eum macerans (defatigans) — est vero *ἀτμός* ipse ille ventus, quem post fugientem excitare debet, et unde oriatur, declaratur verbis *νηδύος πυρί*, ventris igne, (qui ex Furiis exoriens eum, quem persequuntur, horribili aestu torret), *ἕπου* sequere, *μάραινε δευτέροις διώγμασιν* et eum (maceratum, defatigatum) denuo persequens (eum se reficere non patiens) exstingue.

μαραίνειν est „omnino delere", ut omnes loci testantur, Il. IX, 212: *φλὸξ ἐμαράνθη*, flamma prorsus elanguit, ut ex tota re intellegitur, pruna modo candebat; H. in Merc. 140: *ἀνθρακιὴν δ' ἐμάρανε*, carbonem candentem exstinxit ita, ut etiam *ἀνθρακιή* (pruna) iam non esset, sed cinis; Eum. 280:

βρίζει γὰρ αἷμα καὶ μαραίνεται χερός,

evanescit, ut versus sequens docet:

μητροκτόνον μίασμα δ' ἔκπλυτον πέλει.

140—142. *Χορ· ἔγειρ', ἔγειρε καὶ σὺ τήνδ', ἐγὼ δὲ σέ.*
εὕδεις; ἀνίστω, κἀπολακτίσασ' ὕπνον
ἰδώμεθ', εἴ τι τοῦδε φροιμίου ματᾷ.

Clytaemnestrae Umbra, priusquam Furiae evigilent, per anapiesma, quod ad climaces

charoneas ducebat, evanescit. Princeps Eumenidum expergefacta eam, quae iuxta accubat, excitat monens, ut proximam vocet.

ἀνίστω κἀπολακτίσασ' (ἀπολακτίζειν proprie est „pedibus pulsare") *ἰδώμεθ'*, i. e. ego et tu, postquam excussisti somnum, videamus.

εἴ τι τοῦδε φροιμίου ματᾷ. Minime *φροίμιον*, ut Minckwitzio et Schuetzio placet, ad pristinam iustam persecutionem pertinet neque ita intellegendum est: „si haec iusta prior persecutio incassa sit", sed respicit tum ad somnium tum ad verba Clytaemnestrae, quae Furia per somnum audivit, virum aufugisse, interfectorem matris abiisse et alia. Per somnum cum audiverit, quamvis rationis non plane compos, praedam elapsam esse, et cum in somnio id agere studuerit, ut fugientem denuo in potestatem suam redigeret, expergefacta monet alias, ut expergiscantur et simul cum ipsa videant, si quid istius prooemii vanum sit. Prooemium somnus praebuit; testimonio versus 155 et sequentes sunt; ex somno excitatae vident, re vera id accidisse, quod iam in somnio praesenserunt, Orestem aufugisse. Frustra speravit (nam etiam hoc in verbis illis inesse sentimus) Furia, id non futurum esse, quod ne esset, timebat. [*Φροίμιον* eodem modo ex *προϜοίμιον* contractum est, quo *φροῦδος* ex *πρὸ ὁδοῦ*. Digamma aeolicum, quod in multis aliis vocibus in spiritum asperum transiit, in hac voce, quamvis simplex *οἶμος* digamma prorsus perdiderit, efficit, ut tenuis littera *π* in aspiratam *φ* mutetur.]

Summo terrore et furore affectae Furiae carmen sequens canunt, cuius metrum ex dochmiis, quibus iambi immixti sunt, compositum egregie ad animos vehementissime concitos perturbatosque quadrat.

Carmen sequens est canticum a Graecis *κομμός* seu *κομμάτιον* dictum, quod invicem ab actore et choro aut a chorago et choro seu singulis chori sociis cantabatur.

A Godofredo Hermanno, quem interpretes fere omnes secuti sunt, canticum inter omnes XV Eumenides distributum est, quam quidem distributionem ipsam, dummodo ne fiat inter quindecim choreutas*), etiam Rossbach Vir. Ill. probat rationem quidem, quod ego scio, habens pausae in fine versus, velut certi signi, orationem alius paululum interruptam ab alio continuari. Sed non modo pausa unius morae ibi invenitur, ubi utique vicissitudo pronuntiantium esse non possit, quia sensus quoque interrumperetur, ut in fine versus 155, sed etiam dubium est, utrum semper pausam accipere liceat, si ultima versus syllaba brevis quidem est, sed in

*) Verba sunt (Index lectt. in Univ. Litt. Vratisl. per aest. a. LIX. hab.) haec: „Non enim illud (Hermannus) demonstravit, carmen a singulis XV omnibus cantatum, sed hoc, a pluribus singulatim se excipientibus sive hemichoriis sive choreutis, non ab universo choro vel uno choryphaeo esse cantatum. — — — (p. 7 fin.) eo compellimur, ut utrumque (nostrum et Supplicum) carmen ab hemichoriis cantatum existimemus. — Quemadmodum Suppl. *στρ. γ'* in quattuor partes, sic Eumenidum *στρ. α'* in totidem distributa est, Suppl. *στρ. α'* in binas, Eum. *στρ. β'* in totidem, ultima utriusque carminis syzygia, cum nullam habeat nec verborum nec sententiarum concinnitatem, a toto choro est cantata."

consonam exit, et prima sequentis versus syllaba a consona incipit, an potius tum etiam in fine versus sentiatur, syllabam esse productam, id quod mihi (accuratius vero agam in parte metrica) videtur, ut in fine versus 163. Necesse non est tum modo pausam accipi, cum sententia quaedam usque ad finem perducta est, sed in media sententia concitate relata pausae incidentes concitam orationem etiam multo excitatiorem reddunt. Nonne ex musica et ex oratoria actione nostrorum dierum scimus, pausas tum quoque, cum priorem sententiam non desinere sed continuari oporteat, adhiberi, ut aut impressio antecedentium ab animo quiescenti recte capiatur aut exspectatio sequentium augeatur, dummodo ne sensus ipse interrumpatur, aut omnino animi concitatio dicentis sive canentis exprimatur? Primos tres versus lacerari puto, si inter tres socios chori distribuantur. Versu secundo in forma appositi ad primum verbum *ἐπάθομεν* inserto, principem Furiarum ex affectu et gravitatis causa verbum *ἐπάθομεν* repetere et continuare, deinde aliam Furiam unum semichorium regentem prima antistropha respondere arbitror. In altera stropha iterum princeps Furia dicit, quid in somnio sibi apparuerit et quo modo nunc expergefacta istud prooemium ad verum perductum esse videat; ad quae Furia alterum semichorium regens respondet simili modo atque in antistropha *α′* illa Furia, Apollinem accusans, qui se sceleris participem praestiterit. Tum in tertia stropha alterum semichorium Apollinem de hac re obiurgat et alterum in antistropha docet, Orestem quamvis ab Apolline adiutum vindictam aufugere non posse. Neque plenam interpunctionem, ne recte quidem factam, certum signum, ut Minckwitz vult, haberi licet, aliam Furiam occipere canere. Concedo, in posterioribus canticis, imprimis cum species chori sit *σποράδην* irruentis, omnes Furias singillatim cecinisse, in hoc cantico totum statum non eum esse reor, qui distributionem inter singulas Furias sive talem distributionem inter semichoria credibilem nedum necessariam reddat. Denique non consentio, illud scholiastae *κομματικῶς ἕκαστον κατ᾿ ἰδίαν**) *προενεκτέον* ullo modo pertinere ad distribuendum canticum inter singulas personas. Verba sequentia: *αἱ γὰρ διακοπαὶ πρόςφοροι τοῖς πάθεσιν* declarant, scholiastam consilium modo tradidisse, quo modo enuntiantes hoc canticum summos affectus et excitatissimas passiones complectens actores maxime animos spectatorum moverent. De iteratione eiusdem verbi aut sermonis, quae simul pulcherrimam concinnitatem praebet, in singulis strophis et antistrophis dicam, non credens eam eius modi esse, propter quam canticum nostrum concidamus.

---

*) Etsi coniecturam *ἴδια* non improbo, tamen qua ratione quisquam arbitrari possit, scholiastam in eo de distinctione illa Aristotelis (poët. 12), qua *μέρη κοινὰ ἁπάντων* (scil. *δραμάτων*) et *μέρη ἴδια*, i. e. partes, quas in quaque fabula inveniri necesse non est, distinguuntur, cogitavisse, non intellego. Hoc canticum ex numero harum partium esse quis neget? Sed scholiasta verbis *κομματικῶς ἕκαστον κατ᾿ ἴδια* (nisi forte rectius legatur *ἴδιον*) monet, ut actor ad intervalla multa distincta et interpuncta animum attendat inter dicendum, quia hae incisiones ad argumentum cantici recte tractandum efficacissimae sint. (Similiter adhibitum est *κομματικός* in Lucian. Bis Accus. 28, ubi cum Dindorfio *κομματικὰ ἐρωτήματα*, non *κωμικὰ ἐρωτήματα*, ut Iacobitz vult, legendum est.)

Str. *α′*. *ἰοὺ ἰοὺ πόπαξ· ἐπάθομεν, φίλαι,*
η πολλὰ δὴ παθοῦσα καὶ μάτην ἐγώ,
*ἐπάθομεν πάθος δυσαχές, ὢ πόποι, ἄφερτον κακόν**).

ἰοὺ ἰοὺ πόπαξ interiectiones sunt terroris, *ἐπάθομεν*, ut supra dixi, in v. 145 iteratur, postquam illud *ἦ πολλὰ δὴ παθοῦσα καὶ μάτην ἐγώ* interpositum est, ut recte Schuetz „haec *παρενθέτως* dicuntur". — „Passae sumus (ne, quae multa iam et frustra passa sum ego), passae sumus calamitatem gravem, eheu, intolerabile malum." Exclamatio, quam Furia de se ipsa edit, referenda est ad laborem pristinae persecutionis, et antequam obdormivit et in somnio, quem frustra fuisse expergefacta animadvertit.

147. 148. *ἐξ ἀρκύων πέπτωκεν οἴχεταί θ᾿ ὁ θήρ·*
ὕπνῳ κρατηθεῖσ᾿ ἄγραν ὤλεσα.

Duo hi versus iterationem non continent; ille narrat feram ex retibus elapsam aufugisse, alter pergit tali modo Furias praedam, quam iam in manibus habuerint, somno victas amisisse. Lepida sermonis gradatio est et hic et in sequentibus ad exornandam orationem aptissima, quam recte de Homero Porphyrius Tyrius laudat. (Conf. Thom. Stanl. comm. in Aesch. trag. ad h. l.)

Antistr. *α′*. *ἰὼ παῖ Διός, ἐπίκλοπος πέλει,*
νέος δὲ γραίας δαίμονας καθιππάσω,
τὸν ἱκέταν σέβων, ἄθεον ἄνδρα καὶ τοκεῦσιν πικρόν,
τὸν μητραλοίαν δ᾿ ἐξέκλεψας ὢν θεός·
τί τῶνδ᾿ ἐρεῖ τις δικαίως ἔχειν;

Apollo, filius Iovis, accusatur, quod Orestem adiuverit. Furiis nihil aliud curae est nisi scelestum persequi; earum nihil interest Clytaemnestram puniri, quae coniugem et eundem regem interfecerat; summa modo iis scelera ulciscenda sunt et imprimis caedes eorum, qui sanguinis vinculis cum interfectore coniuncti erant; non quaerunt, quid ad scelus committendum impulerit. Itaque Apollinem ut eum modo intuentur, qui praedam ipsis eripiat, nequaquam deliberantes, cur Apollo fugitivo patrocinetur. — *ἐπίκλοπος* vocatur, qua voce generaliter exprimitur, astutum aliquem esse et doli fraudisque peritum, cum postea singillatim addatur, qua in re illa astutia appareat. Pari modo hic *παῖ Διός* et *ἐπίκλοπος* ac deinde vox gravior *ἐξέκλεψας* et *ὢν θεός* inter se opponuntur. Mutatio igitur versuum 153 et 150 (Dind.), quae iam proposita est, non modo non necessaria est, sed etiam pulchram sermonis gradationem perturbat, quoniam illa verba *μητραλοίαν ἐξέκλεψας ὢν θεός* certo gravissimam omnium accusationem continere quisque intelleget.

νέος δὲ γραίας. Thom. Stanleius citat in commentario ad hunc versum complures locos, quibus Apollo *ἀεὶ νέος* (et Tibull. I, 4, v. 37: Solis aeterna est Baccho Phoeboque

---

*) iam textum a me recognitum offero.

iuventas), Furiae vero *γραῦς* vel anus dicuntur. Equidem quoque arbitror, Furias hoc versu respicere, se maiores natu esse Apolline, quem iam haec res a fraude prohibere debuisset, neque his verbis commemorare, se ex antiquiorum deorum ordine esse, Apollinem vero ex Iovis familia, quae demum, Saturni regno everso, dominationem mundi susceperit (ut v. 162. 163.). Testimonio est versus 731:

ἐπεὶ καθιππάζει με πρεσβῦτιν νέος,

in quo illum sensum inesse nemo negabit; contra versus 778. 79. et 808. 9. ad diversa deorum genera spectant.

καθιππάζεσθαι, ea verbi significatio, in qua natum est, invenitur apud Herodotum (9, 14): *ἡ δὲ ἵππος προελθοῦσα κατιππάσατο χώρην τὴν Μεγαρίδα*, equitatus agrum ungulis equorum obtrivit; in translata significatione verbi, excepto hoc versu, ter in Eumenidibus legitur, v. 731, 779, 809, „victoriam per vim aut astutiam de aliis reportatam significaturum" (Minckwitz). Gradatim conectuntur: *τὸν ἱκέταν*, supplicem, in quo subaudiendum est sanguine nefando respersum, *ἄθεον ἄνδρα*, deorum contemptorem, *τοκεῦσιν πικρόν*, parentibus infensum, *τὸν μητραλοίαν*, matricidam; vis vocum ab alia ad aliam augetur.

μητραλοίας derivatur a *μητέρα* et *ἀλοιάω*, pro qua forma invenitur *ἀλοάω* significans „frumentum tero" in Xen. Oecon. 18, 2, et *ἀλοάω*, voci *ἅλως*, id quod *ἀλωή*, et voci *ἁλωάς* seu *ἀλωαίη (Δημήτηρ)* respondens scribitur. *Ἀλοιάω* vim „pulso" habet in Plut. Tib. Gracch. c. 2, et *μητέρα ἀλοιᾶν* invenitur in Ar. Ran. v. 149:

ἢ μητέρ' ἠλοίησεν, ἢ πατρὸς γνάθον
ἐπάταξεν.

ὢν θεός, quod maxime contrarium est verbo *ἐξέκλεψας*, referendum est etiam ad *ἄθεον ἄνδρα*.

τί τῶνδ' ἐρεῖ τις δικαίως ἔχειν; quid horum iuste se habere quisquam dicet? Quid harum rerum, id est, quod tu iuvenis nos seniles deas proculcare, tu illum sanguine respersum, tu hominem deorum contemnentem, tu parentibus infensum, tu matricidam defendere audeas, qui deus es.

Str. β'. *ἐμοὶ δ' ὄνειδος ἐξ ὀνειράτων μολὸν*
ἔτυψεν δίκαν διφρηλάτου
μεσολαβεῖ κέντρῳ
ὑπὸ φρένας, ὑπὸ λοβόν.
πάρεστι μαστίκτορος δαΐου ([*δαΐου*] *δαμίου* Dind.)
βαρὺ τὸ περίβαρυ κρύος ἔχειν.

Princeps Furiarum narrat illud prooemium in somnio oblatum: Mihi vero (scilicet: talia fecit Apollo, mihi vero opprobrio datur, quod non impediverim, quin fierent) opprobrium ex somniis occurrens quasi stimulo, quo auriga medium corpus equi ferire solet, me

vulneravit sub praecordia, sub viscera. — *δίκην* adverbii loco adhibitum vulgo postponitur genetivo.

Adiectivum *μεσολαβής*, quod et active et passive adhiberi potest, hic active intellegendum esse comparatio docet; respondent enim attributo *μεσολαβεῖ* verba sequentia *ὑπὸ φρένας, ὑπὸ λοβόν*: ut auriga stimulo in medium corpus, ubi molliores et doloris minus patientes partes sunt, ferit, qua de causa stimulus, qui ipse concutit istas partes, medium prehendens, i. e. *μεσολαβὲς κέντρον* dicitur, sic illud opprobrium in somniis Furiae occurrens eo penetravit, ubi sedem subtilis sensus esse Graeci rati sunt, id est sub praecordia et viscera. Et omissa coniunctio *καί* et iterata praepositio *ὑπό* eximie accommodata est ad excitatam Furiae mentem effingendam. — *ὕπο* adverbium cum Hermanno pro praepositione *ὑπό* accipere neque necessarium neque subtile est et turbat concentum strophae et antistrophae.

Iam expergefacta — pergit Furia — videre possum, somnium in verum transductum esse, possum diri flagellatoris horrorem gravem, praegravem sentire. Intellegendum est: illud opprobrium, quod per somnum mihi occurrit, nunc me expergefactam re vera pungit. In *πάρεστί τινι πράττειν τι* notio inest: aliquis potest rem facere sine ullo impedimento sive corporis sive animi viribus; *ἔξεστι* (licet) modo animi, *ἔνεστι* (valere) corporis vires, *ἔστι* pariter ac *πάρεστιν* utrasque respicit (cf. Buttmann. § 150, 23). *κρύος* est ille horror, quo cor quasi rigescit, ut Sept. 834:

κακόν με καρδίαν τι περιπίτνει κρύος.

Positio articuli *τό* inter *βαρύ* et *περίβαρυ* ad auctam vim adiectivi *περί-βαρυ* etiam augendam efficacissima mihi videtur esse.

Ex versu 160 aliquid tollendum esse ut iudicem, eo moveor, quod tetrameter iambicus (cf. partem metricam) inter versus ex dochmiis ad eum finem compositos, ut vehementissima excitatio et perturbatio mentium appareat, multo languidior esse videtur. Ad *μαστίκτορος* apponi *δαΐου* nemo ineptum putabit, sed appositum *δαμίου* vix dignum Aeschylo sit. „*ὁ δήμιος*" significatio iam per se munus illius ministri velat, nomine transducto ab iis, qui iustitiae vindicandae et ordinis publici servandi causa in munere eum constituunt, neque quisquam hanc vocem umquam imaginis et translationis causa a Graecis veteribus adhibitam esse arguet. A tragicis, quod equidem memini, omnino non adhibetur, in Aristophanis comoediis invenitur significans carnificem publice constitutum, Eccles. 81 (Bergk):

ἐπιτήδειός γ' ἂν ἦν
εἴπερ τις ἄλλος βουκολεῖν τὸν δήμιον.

Nihil verisimilius est, quam *δαμίου* pro simili *δαΐου* aut ad *μαστίκτορος δαΐου* declarandum additum esse et utrumque mansisse eo facilius, quod in antistropha *αἱμάτων* genetivus, ut mihi videtur, declarandi causa verba *βλοσυρὸν ἄγος* adscriptus, a margine in textum venerit ibique

manserit. Editor iste, qui primus *αἱμάτων* interclusione a textu secrevit, simul *δαΐον* uncinis interclusit pro *δαμίον*, quod intercludere debuit. „Re vera evenit, ut diri flagellatoris gravi, praegravi horrore affecta sim.“

Antistr. β'. *τοιαῦτα δρῶσιν οἱ νεώτεροι θεοὶ*
(162—67.) *κρατοῦντες τὸ πᾶν δίκας πλέον*
φονολιβῆ θρόνον
περὶ πόδα, περὶ κάρα.
πάρεστι γᾶς ὀμφαλὸν προςδρακεῖν (add. [*αἱμάτων*] Dind.)
βλοσυρὸν ἀρόμενον ἄγος ἔχειν.

Iam dii novi generis accusantur, quod iniuste administrent mundum. „Talia perficiunt iuniores dii“, queritur Furia, ut in verss. 778 et 808:

ἰὼ θεοὶ νεώτεροι, παλαιοὺς νόμους
καθιππάσασθε κἀκ χερῶν εἵλεσθέ μου,

quibuscum conferas querelam nympharum Oceanitidum (Prom. 149. sqq.):

νέοι γὰρ οἰακονόμοι κρατοῦσ' Ὀλύμπου κτλ.

„usurpantes omnino extra ius thronum sanguine stillantem ab imo ad summum.“

Wakefield *θρόνον* in *θρόμβον* esse mutandum putavit, quod Hermann, quem et alii et Dindorf sequuntur, probat melius quidem quam ille verba cum sequentibus coniungens ita, ut sensum esse velit: „praeter fas sibi vindicantes caedis vestigia“. Sed quid propius est quam ut de umbilico Delphico cogitemus, throno sapientiae et iustitiae, quam sacram sedem, Oreste attingente, sanguine stillare chorus ait. Si *πούς* et *κάρα*, ut putat Hermann, non quadrent ad verba *θρόνος* et *ὀμφαλός* (ne in proverbii usu sint), nescio ad quid hoc loco melius quadrent; num forte ad *θρόμβον?* voluntne fortasse *θρόμβον* esse ipsum Orestem? Quod vero *μεσολαβεῖ κέντρῳ* dochmiacum dochmiaco *φονολιβῆ θρόνον* non satis accurate respondere putant, iam a Rossbachio et Westphalio (Griech. Metrik von Rossbach und Westphal, Anhang, p. 556) melius instructi sumus, de qua re in parte metrica pauca disseram.

περὶ πόδα, περὶ κάρα, pariter ac v. 159, 161 et postea 167 cumulatio brevium syllabarum excitatas mentes egregie effingit. „Talia perficiunt dii iuniores usurpantes omnino praeter ius fasque thronum (quae vetus sedes Themidis erat, cf. Eum. 2.) stillantem sanguine ab imo ad summum.“

ἀρόμενον, pro *αἰρόμενον* aut *αἰρόμενον* recte acceptum ab Abreschio, coniungendum est cum *ἔχειν* ita, ut fiat *ἀρόμενον ἔχειν*, referendum ad *ἄγος βλοσυρόν*, scelus horribile: scelus horribile sibi contractum habere, id est horribili scelere obstrictum esse; id praedicatur de *ὀμφαλὸν γᾶς* (imaginem umbilici terrae ex marmore albo factam, quae locum notabat, ubi centrum terrae esse dicebatur, de qua re narrat Strabo X, p. 420 [Casaub.] et Paus. X, 16, 3), ita ut con-

structio sit: *πάρεστι προςδρακεῖν ὀμφαλὸν γᾶς ἀρόμενον ἔχειν ἄγος βλοσυρόν*, „factum est, ut intueamur umbilicum terrae horribili scelere obstrictum“, quibus versibus verba *φονολιβῆ θρόνον* planius explicantur.

Probare non possum editores quosdam in stropha quidem β' ante *πάρεστι* sive post verba *ὑπὸ λοβόν* plene interpunxisse, in antistropha vero verba *φονολιβῆ θρόνον* (seu *θρᾶνον*) *περὶ πόδα, περὶ κάρα* ad sequentia *πάρεστι γᾶς κτλ.* attraxisse. Concinnitas sententiarum et in antistropha et in stropha tanto opere elucet, id quod iam reiteratio ipsa verbi *πάρεστι* docet, ut qui in stropha inde a *πάρεστι* sententiam per se gravissimam esse intellegat, etiam in antistropha quin ultimos duos versus ab antecedentibus plena interpunctione seiungat facere non possit.

Str. γ'. *ἐφεστίῳ δὲ, μάντι, σὸν μιάσματι*
μυχὸν ἔχρανας αὐτόσσυτος, αὐτόκλητος,
παρὰ νόμον θεῶν βρότεα μὲν τίων,
παλαιγενεῖς δὲ Μοίρας φθίσας.

Coniectura Schuetzii *μάντις ὢν* omnes difficultates loci non tollere mihi videtur, quod aliquid ad *μυχὸν* appositum sine dubio desideratur et totiens invenitur, quotiens vox vim arcani, adyti, fani habet; per se numquam in hac significatione adhibetur, sed modo intimum locum, intimam partem significat, nisi saltem pronomen possessivum *σός*, referendum ad deum possidentem, additum explicat, de loco intimo numini divino sacrato agi, id est de arcano, fano. *ἐχράνατ'*, quod cod. M. offert, *(μαντι σῶιμι ἀσματι·· μυ κὸν ἔχραν' ατ')* restituere, ut vult Heimsoeth (die Wiederherstellung der Dramen des Aeschylus) non licet, quod usus formae mediae probari non potest et in hac coniunctione verborum vix sensum ingenuum efficit, etiam accentus ipse locum codicis corruptum esse docet; lectio vero *μάντις ὂν* nisi illa forma *ἐχράνατ'* adhibita constare non potest. Thom. Stanleius proponit *μαντικόν*, quod ideo non probo, quia etiam longius a litterarum ductibus recedit, et quia omnis ratio eius, qui fecerit, qui ipse vates oraculum, et ipsius suum quidem, inquinamento contaminaverit, neglegitur. Si legeremus *μάντι, σοι*, ut Wieseler voluit, dativo commodi quodam modo ratio eius haberetur, sed *μυχόν* iterum attributo careret. Utrumque vero respicitur, si legimus *μάντι, σόν*, quod iam Scholefieldum coniecisse vidi postea quam equidem ipse legendum esse iudicavi; „domestico inquinamento tu, vates, tuum fanum contaminavisti“, ut illo vocativo non minus contrarie verbi *ἔχρανας μιάσματι* exponatur, quam per *μάντις ὢν*, possessorem fani ipsum noxium esse, atque simul vox *μυχόν*. pronomine *σόν* apposito, recte intellegi possit, recessum, qui ipsius tuus est, recessum fatidicum, i. e. fanum tuum.

αὐτόσσυτος, αὐτόκλητος per se impulsus, sua sponte, ex suo arbitrio; per se vocatus, i. e. non ab alio vocatus, invocatus.

παλαιγενεῖς. παλαιγενής, is, cuius origo ad tempora diutissime peracta spectat, etiam

pariter ac *παλαιός* de hominibus adhibetur, hic vero de Parcis, quas sub regno Saturni ortas esse opinionem Aeschyli fuisse aut saltem ab eo ostendi constat, si conferuntur verss. 334 sqq., ubi singulari ***Μοῖρα***, quem semper Homerus (excepto versu Il. XXIV, 49) profert, secundum antiquissimam obscuram superstitionem utitur, et verss. 321, 322, quibus chorus Furiarum exclamat:

μᾶτερ, ἅ μ' ἔτικτες, ὦ μᾶτερ
Νύξ —

et v. 416: *ἡμεῖς γάρ ἐσμεν Νυκτὸς αἰανῆς τέκνα,*

ut cum v. 334, 35 dicatur:

τοῦτο γὰρ λάχος διανταία
Μοῖρ' *ἐπέκλωσεν ἐμπεδῶς ἔχειν,*

extra omnem dubitationem sit, Aeschylum antiquiorem opinionem esse secutum, secundum quam etiam Parcae filiae Noctis putabantur.

Quod vero ad sensum versus attinet, *παλαιγενεῖς δὲ* ***Μοίρας*** *φθίσας*, satis est mentionem facere sententiae Schuetzii, qui respiciens verss. 334 sqq. ait: „Parcarum leges infringuntur, Oreste matricidii poenis soluto, utpote quae Eumenidibus officium eius modi facinorum ultionem exsequendi demandaverint“, et recte reicit opinionem Wakefieldi, qui sub ***Μοίρας*** hoc loco ipsas Eumenides intellegendas esse existimat, omnino verss. 334 sqq. neglegens et Prom. 516:

Μοῖραι *τρίμορφοι μνήμονές τ' Ἐρινύες.*

Parcae re vera, ut illis paucis verbis Schuetzii dictum est, violatae videntur. Quid valet sententia scholiastarum, qui huic versui *ἡμᾶς*, ad Furias referendum adscripserunt? Minimi momenti est auctoritas eorum, nisi persaepe, certe omnibus iis locis, quibus eos, ut nostro, aliquid quasi interpretantes addidisse manifestum est, quia interpretari non potuerunt. Sin vero iure scholiasta ad Soph. O. C. 229, id quod Reinhardus Schultze profert in adnotationibus ad Aeschyli Eumenidum partem priorem. Regimontii Neomarchicorum. 1873. p. 21. testatur, Furias ***Μοίρας*** quoque dictas esse, confusionem notionum iudicio vulgi non alienam cognoscimus. Vertimus: „praeter deorum leges mortalia honorans, cum vetustissimas Parcas aboleveris (auctoritate earum sublata)“.

Antistr. γ'. *κἀμοί τε λυπρὸς καὶ τὸν οὐκ ἐκλύσεται,*
ὑπό τε γᾶν φυγὼν οὔ ποι' ἐλευθεροῦται.
ποτιτρόπαιος ὢν δ' ἕτερον ἐν κάρᾳ
μιάστορ' ἔνδικον πάσεται.

Non habeo, cur primum versum putem mutandum esse neque pro *τε*, ut Casaubono et aliis eum secutis placuit, *γε*, neque pro *λυπρός*, ut perpaucis secundum Par. cod. visum est, *πικρός* scribi, neque ingeniosam Rossbachii coniecturam *καίτοι γε λυπρὸς* (ad quod *ὢν* subaudiri vult) *κεῖνον οὐκ ἐκλύσεται* accipi opus esse iudico.

Lectio, quam Mscepta praebent: *κἀμοί τε λυπρὸς καὶ τὸν οὐκ ἐκλύσεται*, si recte coniunxerimus, bene servari posse videbitur. Ad versus antecedentes, in quibus chorus Apollini probro dat, quod oraculum suum, mortalia magis honorans, quam deum deceat, sublata auctoritate numinis sortes mortalium administrantis, profanaverit, in antistropha pergit: „*καί*“, „et“, cuius coniunctionis vis interdum gravior est quam multarum aliarum, in quibus gradatio, concessio, adversatio inest, cum hic facile subaudiamus: „quid assequitur?“ Et „quaestumne ei fert tale facinus?“ cuius interrogationis loco responsum ipsum ilico coniunctioni *καὶ* adiunctum est:

ἐμοί τε λυπρὸς καὶ τὸν οὐκ ἐκλύσεται.

„Et“ — talis est quaestus: „non modo mihi maestus (est), sed etiam hunc non exsolvet“. Hic est usus coniunctionum *τὲ-καὶ*, ut *καί* rem maioris momenti addat (cf. Krueger § 69, 51; Rost, Synt. c. 5, § 134; Buttmann § 149), mihi odio est, et tamen (id, quod maxime valet) fructum ullum facinoris sui non capiet.

Verbi *ἐκλύειν* usus formae mediae frequens est.

Ad v. 175 „et quamquam sub terram fugerit, numquam liberatur“, conferendum est illud: *θανὼν δ' οὐκ ἄγαν ἐλεύθερος* (v. 340); omne tempus futurum ante oculos dicentium obversatur ideoque ut praesens tempus tractatur, *ἐλευθεροῦται*, quo concitatior fit oratio.

176. 177. *ἐκείνου*, quod Mscepta praebent, aliquo errore irrepsisse ex pluribus causis apparet. Non modo metri causa vocem istam pati non possumus, sed etiam sensus intellegi non potest; ad quid referri, quacum voce coniungi possit? non cum *κάρᾳ* recte coniungitur ita, ut referatur ad *ποτιτρόπαιος*, quia *ἐκεῖνος* non recte ad subiectum refertur; sin autem quis velit *ἐκείνου* genetivum comparativum vocem *ἕτερον* sequi, duae mihi causae repugnare videntur; prior, quod etiam ad loquentem referre *ἐκεῖνος* non licet, altera, quod *ἕτερος*, nisi rem ab alia re diversam esse significat, neque cum *ἤ* nec cum genetivo comparativo coniunctum invenitur, ut Plato (see H. Stephanum) Prot. 333, a: *ἐλέγετο ἕτερον εἶναι σωφροσύνης σοφία*, Gorg. 495 C: *ὡς ἕτερον τὴν ἀνδρείαν τῆς ἐπιστήμης*, et Xen. An. 6, 2, 8: *καὶ τούτων ἕτεροι*, ad quem locum videas notam Kruegeri.

Multae coniecturae a doctissimis viris prolatae sunt, ut ab Hermanno *ἔστιν ὃν πάσεται*, a Schoemanno aut iam antea, ut lego in dissertatione Reinhardi Schultze commemorata anni 1873, a Passovio „ex coniectura iuvenis optimae spei, Aemilii Dirlami“, *αὐτ' ἐκεῖ*, a Wellauero *ἐκ κείνου*, a Bothio *ἐκ καινοῦ*, a Wieselero *ἐκ νέου*, ab aliis aliae. Coniectura *ᾧ κάρᾳ* pro *ἐν κάρᾳ* prorsus non est necessaria. Credo hoc loco, quem corruptum esse nemo negabit, mutationem quoque concedi, quae paulo longius a lectione manuscriptorum recedat. Recte iudicat editio gothana, quidquid excogitatum sit ab editoribus, mirifice languere, nec multo melius editor de sua ipsius lectione, quae satis a litterarum ductibus recedit, iudicare videtur:

ποτιτροπαῖς ἑλῶν ἕτερον ἐν κάρᾳ
μιάστορ' εὐκτὸν οὐ πάσεται,

de qua lectione quod B. Todt censet*), reprehendere non possum. Sed expositioni Todtii, qui *μιάστορα* non deum quemdam, sed modo umbram Clytaemnestrae esse posse, putat**), ut assentiar animum inducere non possum, quamvis eundem sensum, quem in his duobus versibus inesse Todt existimat, inesse mihi quoque persuasum sit, atque etiam coniectura eius:

ποτιτρόπαιος ὢν δ' ἕτερον ἐν κάρᾳ
μιάστορ' ἐκ νόμου πάσεται,

probabilis mihi videretur, si appositum *ἐκ νόμου* exprimere posset *τὸ* secundum legem (hic divinam, aeternam) agere; sed inesse potest modo *τὸ* lege constitutum esse. Parum vero efficit sententia, vindictam, cum Furiae eam deposuerint, transferri ad Clytaemnestram seu umbram Clytaemnestrae; prorsus repugnans omnibus veterum opinionibus videtur et plane reicienda est. Nihil mihi verisimilius videtur, quam Aeschylum hoc loco, quo Furiae mentionem Platonis faciunt, de quo in v. 273 sqq. dicunt:

μέγας γὰρ Ἅιδης ἐστὶν εὔθυνος βροτῶν
ἔνερθε χθονός, δελτογράφῳ δὲ πάντ' ἐπωπᾷ φρενί,

adiectivum ad substantivum *μιάστορα* addidisse, quo Furiae doceant, quamvis alii dii iuniores (cf. v. 641: — *Ζεὺς* — —

αὐτὸς δ' ἔδησε πατέρα πρεσβύτην Κρόνον)

iustitiam violent, (cf. not. fin.) unum tamen manere, qui iustum iudicem se praebeat et iustus vindex scelera hominum ex legibus aeternis puniat neque nefarium liberari patiatur. Itaque arbitror, poëtam *μιάστορ' ἔνδικον* dixisse, cuius verbi litterae a litteris, ex quibus *ἐκείνου* compositum est, non nimis diversae sunt.

---

*) B. Todtii verba (Philol. XV, 2, p. 207) sunt haec: Sein eigner vorschlag aber genügt ihm selbst nicht: *ποτιτροπαῖς ἑλῶν ἕτερον κτλ.* Ich verstehe dies nicht recht. Soll *μιάστορα* abhängen von *ἑλῶν*, wie es nach den citirten stellen *ἄγος ἐλαύνειν* etc. den anschein hat, und *εὐκτόν* object zu *πάσεται* sein, so dass der sinn wäre: „wenn er auch durch sühnungen den andern rachegeist auf seinem haupt vertreibt, so wird er doch das gewünschte nicht erlangen“? Aber was soll dann *ἕτερον* bedeuten, und wozu das futurum *ἑλῶν?* Doch vielleicht soll es anders verstanden werden; aber allerdings genügt mir der vorschlag auch nicht.

**) *Μιάστωρ* bedeutet an den beiden stellen (ausser dieser), wo es nicht „frevler“ heisst, „rachegeist“ und zwar Eur. Med. v. 1371 die geister der ermordeten kinder, Soph. El. v. 603, den Orest als rächer des vaters, also immer (cur ideo „immer“?) menschliche, nicht daemonische geister. So wird auch wohl (sic!) hier der *ἕτερος μιάστωρ*, den der schuldige, auch wenn er zum Hades flieht, finden soll, ein menschengeist sein, und zwar der schatten der Klytaemnestra. Wenn man nun bedenkt, dass die Erinyen überall das recht zu schützen behaupten, und sich über Apollos übergriffe beklagen, so ist wenigstens wahrscheinlich, dass der chor sage, „der mörder wird dem gebührenden rächer nicht entgehen“. Dies führt auf *ἐκ νόμου*, was namentlich durch den gegensatz *παρὰ νόμον* (v. 171) bestätigt wird.

μιάστωρ est is, qui se aut alios scelere inquinavit, a verbo *μιαίνω*, ut Choë. 942—44:

ἐπολολύξατ' ὢ δεσποσύνων δόμων
ἀναφυγὰς κακῶν καὶ κτεάνων τριβᾶς
ὑπαὶ δυοῖν μιαστόροιν,

deinde eandem vim, quae est vocis *ἀλάστωρ* (Suppl. v. 415), i. e. vindex, ut manifestissime docent Soph. El. v. 603 (Dind.), ubi Electra ait:

(Ὀρέστης) *ὃν πολλὰ δή μέ σοι τρέφειν μιάστορα*
ἐπῃτιάσω,

et Eur. Med. 1371:

οὐδ' εἰσὶν, οἴμοι, σῷ κάρᾳ μιάστορες·

κάρᾳ dativus ortus ex *κάρατι*, saepe apud tragicos invenitur, a nominativo *τὸ κάρα*, apud Homerum *κάρη*, qui genetivum *κάρητος, καρήατος, κρατός, κράατος* et eodem modo formatum dativum saepe adhibet. Praeterea eadem vox generis feminini secundum primam declinationem a lyricis (ab Anacreonte *κάρας* genet.) et a poëtis posterioribus flectitur. Poëtice hic *κάρᾳ*, ut saepius, pro *ἑαυτῷ* dictum est.

Restat, ut memorem, officium Furiarum, quae fuerit opinio veteribus, in Orco non desiisse, sed etiam ex iudicio Plutonis durasse, ut plures loci docent, ut Suppl. 415. 416:

βαρὺν ξύνοικον θησόμεσθ' ἀλάστορα,
ὅς οὐδ' ἐν Ἅιδου τὸν θανόντ' ἐλευθεροῖ.

et Hom. Il. XIX, 259: — *Ἐρινύες, αἵ θ' ὑπὸ γαῖαν*
ἀνθρώπους τίνυνται.

Pars metrica.

In versibus dialogi tractatis trimetrum iambicum, quo metro ubique fere Aeschylus in dialogo tragoediarum suarum utitur, a versu 118 (ed. Dind.) usque ad versum 142 invenimus, exceptis illis seriebus, quae, quia vocabulis *μυγμός, ὠγμός* et in versu 129 *μυγμὸς διπλοῦς ὀξύς* voces modo abruptas stertentium (per somnum suspirantium) et mutientium significant, extra rationem rhythmicam sunt, deinde versu 130 excepto: *λαβὲ, λαβὲ, λαβὲ, λαβὲ, φράζου*, de quo supra sententiam meam protuli. Recte Hermann haec verba extra metrum iamborum dicta esse monet, quamvis sententia eius, exclamationes illas stropharum et antistropharum modo sibi respondere, quibus ad finem versus *λαβὲ* etc. tamquam epodus adiectus sit, mihi quidem minime placeat, quia vocabulis „stropha“ et „antistropha“ et „epodus“ abutitur. Etsi nemo negabit,

etiam hoc loco et reiteratione exclamationum et numero versuum Umbrae Clytaemnestrae attributorum ab Aeschylo lepidam verborum aequabilitatem esse effectam, vocabulis uti minime licet ad rem prorsus diversam respicientibus. Ceteri viginti versus sunt trimetri iambici hoc modo formati:

Quaeque thesis ante arsin, cuius vis totam dipodiam regit, ita extendi, ut tempus irrationabile, id est unius semis morae (⏓) fiat, ideoque in locum brevis syllabae longa poni potest (cf. Rossbach, Gr. Metr., p. 140 et 187 fin.). In fine versus syllabam brevem in consonam exeuntem produci, versu sequenti a consona incipiente, syllabam in longam vocalem exeuntem corripi, sequenti versu a vocali ordiente, nisi forte sensus versuum plena interpunctione seiunctus sit, arbitror; sin autem vocalis longa corripitur aut brevis syllaba non producitur, pausa unius morae, *λεῖμμα* (Λ) vocata, accipienda est in fine versus, ita ut semper vis duarum morarum appareat.

Tempus irrationabile *(χρόνος ἄλογος)* in prima dipodia octies, sexies quidem simul in altera, ter una in tertia dipodia, in altera dipodia duodecies, in tertia septies et semper quidem una in altera reperitur; in omnibus tribus dipodiis simul prima syllaba ter (124. 128. 134.) producta est. In fine versus septies syllaba natura, quinquies positione longa est, ita ut octies, et ter quidem, quia syllaba in brevem vocalem exit, semel, cum ex causa supra memorata syllaba natura longa, quia vocalis sequitur, corripiatur, quater, cum brevis syllaba in consonam exiens aut propter plenam interpunctionem aut sequentem vocalem non producatur, pausa accipienda sit. (Supervacaneum fere est, monere exitus *οι, αι,* quod ad metrum attinet, aeque atque omnes alias diphthongos tractandos ideoque nisi ante vocalem breves non putandos esse.)

Canticum tres syzygias amplectitur, quarum quaeque ex stropha et antistropha, prima quidem quinorum, altera senorum, tertia quaternorum versuum constat. Singuli versus sequenti modo formati sunt:

ἰοὺ ἰοὺ πόπαξ· ἐπάθομεν, φίλαι,

duo sunt dochmii, quorum utriusque prima arsis in duas breves syllabas soluta est, cum prioris *ἰοὺ* diphthongus ante vocalem vim brevis syllabae habeat; est pausa in fine, quia sequens versus ab *ἦ* incipit ideoque diphthongus *αι* correpta est.

⏑ ⏑́⏑ – ⏑ – | ⏑ ⏑́⏑ – ⏑ ⏑Λ

Respondet versus 149:

ἰὼ παῖ Διός, ἐπίκλοπος πέλει,

⏑ –́ – ⏑ ⏑ | ⏑ ⏑́⏑ – ⏑ –

duo dochmii, quorum alterius modo prima arsis soluta est. Hic breviter componam, auctore Rossbachio, quam vario modo dochmii formari possint, et qua condicione sibi respondeant (Gr. Metr., 555 usque ad 560). Distribuuntur enim ex qualitate thesium in quattuor species:

δόχμιος κριτικός, cuius theses ambae breves sunt, et *δόχμιοι ἄλογοι,* et *πρωτάλογος* quidem, cuius prior thesis, *μεσάλογος,* cuius altera, et *ἀμφάλογος,* cuius utraque thesis longa est. Praeterea respicitur, utrum arsium nulla soluta sit, an una, an duae, et quae duae ex tribus, an omnes solutae sint. (Arsin ultimam nisi in fine versus corripi non licet. Ultima arsis dochmiorum *μεσαλόγων* et *ἀμφαλόγων,* nisi in consonam exit, omnino non corripitur.) Sic hanc tabellam videamus:

	δόχμιοι κριτικοί.	*δόχμιοι ἄλογοι.*		
	dochm. ration.	*πρωτάλογ.*	*μεσάλογ.*	*ἀμφάλογ.*
Class. I.	⏑ –″ – ⏑ –́	α– –″ – ⏑ –́	⏑ –″ – α– –́	α– –″ – α– –́

sibi respondent inter se et primis duobus classis II.

Class. II.	⏑ ⏑́⏑ – ⏑ –	– ⏑́⏑ – ⏑ –	⏑⏑́⏑ – – –	– ⏑́⏑ – – –

quorum ultimi duo modo sibi inter se et primis duobus respondent.

Class. III.	⏑ ⏑́⏑ ⏑⏑ ⏑ –	raro inveniuntur	– ⏑́⏑ ⏑⏑ ⏑ –	ter quaterve	⏑ ⏑́⏑ ⏑⏑ – –	– ⏑́⏑ ⏑⏑ – –
	⏑ ⏑́⏑ ⏑⏑ ⏑ ⏑⏑		– ⏑́⏑ ⏑⏑ ⏑ ⏑⏑		⏑ ⏑́⏑ ⏑⏑ – ⏑⏑	(– ⏑́⏑ ⏑⏑ – ⏑⏑)
	⏑ ⏑́⏑ – ⏑ ⏑⏑		– ⏑́⏑ – ⏑ ⏑⏑		⏑ ⏑́⏑ – – ⏑⏑	(– ⏑́⏑ – – ⏑⏑)

Prima forma (⏑ ⏑́⏑ ⏑⏑ ⏑ –), non raro ab omnibus tragicis adhibita, aliis huius classis et classis II. respondet; etiam ceterae formae rarius quidem ab Aeschylo adhibentur, sed ita, ut et sibi inter se et formis cl. II respondeant.

Class. IV.	⏑ –́ ⏑⏑ ⏑ –	– –́ ⏑⏑ ⏑ –	(⏑ –́ ⏑⏑ – –)	(– –́ ⏑⏑ – –)
	⏑ –́ – ⏑ ⏑⏑	– –́ – ⏑ ⏑⏑	⏑ –́ – – ⏑⏑	(– –́ – – ⏑⏑)
	⏑ –́ ⏑⏑ ⏑ ⏑⏑	(– –́ ⏑⏑ ⏑ ⏑⏑)	(⏑ –́ ⏑⏑ – ⏑⏑)	– –́ ⏑⏑ – ⏑⏑;

ad versum 149: Quamvis dochmius ad dochmium ita adiungatur, ut intra versum et hiatus et syllaba correpta evitetur, hic ut ultima arsis corripiatur permissum est, quia ultimam arsin aut post aut ante interiectionem, aut si qua exclamatio ab interiectione orditur, corripi licet; itaque hic:

ἰὼ παῖ Διός, ⏑ – – ⏑ ⏑.

ἰὼ παῖ Διός, dochmius rationalis primae classis respondet dochmio rationali secundae classis *ἰοὺ ἰοὺ πόπαξ* ⏑ ⏑́⏑ – ⏑ –

144. *ἦ πολλὰ δὴ παθοῦσα καὶ μάτην ἐγώ,*

⏓ –́ ⏑ – | ⏑ – ⏑ – | ⏑ – ⏑ ⏑Λ

est trimeter iambicus, cuius prima thesis irrationabilis est, sexta arsis ex syllaba ante sequentem vocalem *(ἐπάθομεν)* correpta et pausa unius morae constat. Respondet v. 150:

νέος δὲ γραίας δαίμονας καθιππάσω,

in quo non in prima, sed in secunda dipodia tempus irrationabile est.

⏑ – ⏑ – | ⏓ – ⏑ – | ⏑ – ⏑ –

145. 146. *ἐπάθομεν πάθος δυσαχές, ὦ πόποι, ἄφερτον κακόν*

⏑ ⏑̈⏑ – ⏑ – | ⏑ ⏑́⏑ – ⏑ ⏑ | ⏑ –́ – ⏑ ⏑ Λ

tres dochmii systematice coniuncti (ergo unus versus, non duo), quorum primi duo dochmii rationales secundae classis, tertius primae est; brevis arsis et hiatus secundi dochmii concessa sunt, ut demonstravi ad *ἰὼ παῖ Διός.* Respondet

τὸν ἱκέταν σέβων, ἄθεον ἄνδρα καὶ τοκεῦσιν πικρόν, (151. 152.)

⏑ ⏑̈⏑ – ⏑ – | ⏑ ⏑́⏑ – ⏑ – | ⏑ –́ – ⏑ –

147. *ἐξ ἀρκύων πέπτωκεν οἴχεταί θ' ὁ θήρ,* trimeter iambicus est, cuius prima et altera dipodia a syllaba longa incipit

⏒ – ⏑ – | ⏒ – ⏑ – | ⏑ – ⏑ –

Respondens versus (153): *τὸν μητραλοίαν δ' ἐξέκλειψας ὢν θεός* ⏒ – ⏑ – | ⏒ – ⏑ – | ⏑ – ⏑ ⏑ Λ iisdem locis *χρόνον ἄλογον* praebet et pausam in fine; nam propter plenam interpunctionem accipi non potest, syllabam ο̄ς positione (v. 154: *τί*) esse productam, ut iam initio partis metricae demonstravi.

148. *ὕπνῳ κρατηθεῖσ' ἄγραν ὤλεσα,* pro paeonibus haberemus, anacrusi praeeunte, nisi Rossbach nos docuisset (Gr. Metr. p. 550 fin.) paeones in canticis tragoediae locum suum non habere, exceptis duobus locis, ubi *παίωνες* ex magna parte *διάγυιοι,* cretici vocati, systematice coniuncti inveniuntur, Aesch. Suppl. 419 sqq. et Eur. Or. 1415 sqq. Itaque recte dicemus trimetrum esse iambicum, cuius tertia et quinta thesis cum antecedenti arsi syncopata sit, ita ut syllaba trium morarum fiat (∠), quae res *τονή* vocatur a *τείνειν* verbo:

⏑ – ⏑ ∠ – ⏑ ∠ – ⏑ ⏑ Λ

Respondet plane v. 154: *τί τῶνδ' ἐρεῖ τις δικαίως ἔχειν;* ⏑ – ⏑ ∠ – ⏑ ∠ – ⏑ –, est syncope post primam una et alteram dipodiam (cf. Gr. Metr. p. 215). In utroque versu gravitas sententiae metro eximie effingitur.

Str. *β'.* *ἐμοὶ δ' ὄνειδος ἐξ ὀνειράτων μολὸν,* est trimeter iambicus, cuius dipodiae omnes tres rationaliter formatae sunt: ⏑ –́ ⏑ – | ⏑ – ⏑ – | ⏑ – ⏑ ⏑ Λ

Respondet v. 162: *τοιαῦτα δρῶσιν οἱ νεώτεροι θεοί* ⏑ –́ ⏑ – | ⏑ – ⏑ – | ⏑ – ⏑ –

156. *ἔτυψεν δίκαν διφρηλάτον,* dochmius est rationalis primae classis, sequente dipodia iambica, cui versus 163: *κρατοῦντες τὸ πᾶν δίκας πλέον* respondet: ⏑ –́ – ⏑ – | ⏑ – ⏑ –

157. *μεσολαβεῖ κέντρῳ* est dochmius secundae classis, cuius prima arsis soluta et altera thesis irrationabilis est *(μεσάλογος)* ⏑ ⏑́⏑ – ᾱ ⏑ Λ, cum versus respondens (164): *φονολιβῆ θρόνον* (⏑ ⏑́⏑ – ⏑ –) utramque thesin brevem habeat.

Versus 159: *ὑπὸ φρένας, ὑπὸ λοβόν* ex metro iambico metiendus est, quia dochmius tertiae classis (⏑ ⏑̈⏑ ⏑⏑ ⏑ ⏑́⏑) ex ea causa esse non potest, quod ad antecedentem dochmium

adiunctus hiatum ostendit, quem inter dochmios esse non licet; est series iambica, solutis arsibus ⏑ ⏑́⏑ ⏑ ⏑⏑ ⏑ ⏑ Λ, respondente versu 165: *περὶ πόδα, περὶ κάρα.*

160. *πάρεστι μαστίκτορος δαΐον* trimeter iambicus est, cuius tertia thesis unâ et quinta syncopatae sunt: ⏑ – ⏑ ∠ – ⏑ ∠ – ⏑ –

Respondet versus 166: *πάρεστι γᾶς ὀμφαλὸν προσδρακεῖν.* Eximie metrum horrorem animi ostendit, et sine dubio ante utrumque versum plene interpungendum est.

161. *βαρὺ τὸ περίβαρυ κρύος ἔχειν* est tetrapodia iambica, cuius omnes arses, ultima excepta, solutae sunt; respondet v. 167: *βλοσυρὸν ἀρόμενον ἄγος ἔχειν.*

⏑ ⏑́⏑ ⏑ ⏑⏑ ⏑ ⏑⏑ ⏑ –

Stropha *γ'.* *ἐφεστίῳ δέ, μάντι, σὸν μιάσματι* est trimeter iambicus ⏑ –́ ⏑ – | ⏑ – ⏑ – | ⏑ – ⏑ ⏑ Λ; respondet versus antistrophae: *κἀμοί τε λυπρὸς καὶ τὸν οὐκ ἐκλύσεται,* cuius theses primae et alterae dipodiae (sive omnes, ubi licet, v. 153: *ἐξέκλειψας,* v. 132: *ἐκλιπων,* v. 149: *ἐπίκλοπος*) longas syllabas habent: ⏒ –́ ⏑ – | ⏒ – ⏑ – | ⏒ – ⏑ ⏑ Λ

170. *μυχὸν ἔχρανας αὐτόσσυτος, αὐτόκλητος,* duo dochmii sunt classis II., abundante una syllaba, ⏑ ⏑́⏑ – ⏑ – | ᾱ ⏑́⏑ – ⏑ – | –

